2. Impp. Arcad. et Honor. AA. Euloxio præfecto prætorio.

Omnes judices cujuscunque dignitatis sciant posthac absque permissu magnitudinis tuæ arborem ex Daphnensi luco Antiochenæ civitatis præcidendi, vel quolibet modo lapsas transferendi licentiam sibimet denegandam. Sed nec Alytarcha unam cupressum, aliis plantatis, excidere sibi licere contendat. Ac ne solatio antiquitus ei concesso privari per omnia videatur : pro eo, quod ei cupressum excidere denegatur, unam libram auri eum de[1] privatis nostris largitionibus accipere decernimus : quinquaginta librarum auri condemnatione hujus legis temeratore plectendo.

LIBER DUODECIMUS.

TIT. I.

DE DIGNITATIBUS.

1. Imp. Alexander A. Severinæ.

Si ut proponitis, et avum consularem, et patrem prætorium virum habuistis, et [1] non privatæ conditionis hominibus, sed clarissimis nupseritis : claritatem generis retinetis. — *Sine die et consule.*

2. Imp. Constantinus A. Volusiano P. P.

Neque famosis[2], et notatis, et quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.

3. *Idem*, ad Nuphidum P. P.

Major dignitas nulli debet circa prioris[3] dignitatis, seu militiæ privilegia præjudicium facere. — Dat. 5 kal. Maji *Sirmii*, Constantin. A. 5 et M. Licinio CC. Conss. 319.

4. Impp. Constantinus et Constans AA. Philippo.

Senatorum substantias, quas in diversis locis, et provinciis possident, et homines eorum, tam a[4] temonariis oneribus conferendis, quam a cæteris præstationibus, quas judices describunt, necnon etiam ab omnibus sordidis muneribus extraordinariisque, et vilioribus liberos esse præcipimus : nullaque sorte constringi functionis indignæ.

5. *Idem*, ad Clearchum.

Nemo præfectus urbis citra præceptionem, vel scientiam nostram ulli muneri subjuget[5] senatorem : nemo curiam nostram immani pulset injuria. Si quid enim senatoria præditis dignitate fuerit forte mandandum : nostro id judicio reservandum est : fit namque dignitas, quæ nobis jubentibus sustinetur.

6. *Idem*, Orphito.

Ne quis ex ultimis negotiatoribus, vel monetariis abjectisque officiis, vel deformibus ministeriis, vel stationariis, omnique officiorum fæce, diversisque pastis turpibus lucris, aliqua[6] frui dignitate pertentet, sed et si quis meruerit, repellatur : repulsos autem etiam propriis reddi consortiis oportebit.

7. *Idem*, ad Senatum.

Quoniam diversi judices nonnulla opera in quibusdam existimant urbibus extruenda, ad[7] hujusmodi necessitatem senatorum substantia non vocetur. — Dat. 5 non. Maji Tauro et Florentio Conss. 361.

8. Imp. Julianus A. Sallustio P. P.

Jus senatorum, et auctoritatem ejus ordinis (in quo nos quoque ipsos numeramus) necesse est ab omni injuria defendere. — Dat. non. febr. *Constantinop.*, Mamertino et Nevitta Conss.

9. *Idem*. Julianus.

Libertinorum[8] filios adipisci clarissimam dignitatem non prohibemus.

10. Imppp. Valens, Gratian. et Valent. AAA. ad Gracchum P. P.

Severam indagationem per tormenta[9] quærendi, a clarissimo homine submovemus. — Dat. prid. non Januar. *Trev.*, Gratiano A. 4 et Merobaude Conss. 377.

11. *Idem*, AAA. ad Procopium.

Senator, vel alius clarissimus privatos habeat filios, editos quippe, antequam susciperet dignitatem, quod non solum circa masculos dignoscitur constitutum, verum etiam circa filias simili conditione servandum. Cum [autem] paternos honores invidere filiis non oporteat : a senatore, vel solo clarissimo susceptum, in clarissimatus sciendum est dignitate mansurum. — Dat. 15. * *Hierapoli*, Grat. A. 4 et Merobaude Conss. 377.

12. Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theod. AAA. Neotherio P. P.

Judices, qui[10] se furtis, et sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus, et honore exuti, inter pessimos quosque, et plebeios habeantur : nec sibi posthac de eo honore blandiantur, quo se ipsos indignos indicaverint. — Dat. 8 kal. februar. *Thessalon.*, Gratian. 5 et Theod. 1 AA. Conss. 380.

13 Imppp. Valentinian., Theod. et Arcad. AAA. Martiano comiti Orientis.

Mulieres[11] honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus : et domicilia mutamus. Si autem minoris ordinis virum postea sortitæ fuerint : priore dignitate privatæ, posterioris mariti sequentur conditionem. — Dat. 4 kal. februar. *Constantin.*, Arcadio A. 2 et Rufino Conss. 392.

14. Impp. Theod. et Valent. AA. Basso P. P.

Præcipimus, ut senatori in qualibet provincia constituto[12], nullam habeant judices injungendi aliquid forte [publici] muneris potestatem.

15. *Idem*, AA. ad Eustasium.

Clarissimis, vel spectabilibus universis ad genitale solum, vel quolibet alio, et sine[13] commeatu proficiscendi, et ubi voluerint, commorandi, habitandive permittimus facultatem.

16. *Idem*, AA. et Arcad. A. Apollonio P. P.

Si gravius ullum facinus admittatur, nocente persona extra carceralem custodiam sub[14] fidejussione habita, super illustribus quidem, nobis suggeri jubemus : super cæteris vero quadam minori dignitate decoratis, ad tui referri culminis notionem : ut ita demum, quid de admisso crimine constitui oporteat, judicetur.

17. Impp. Honor. et Theodos. * AA. Arcadio præfecto prætorio.

Quotiens ex privata cujuslibet interpellatione civili, vel criminali viri illustres conveniendi sunt, nulla dandæ fidejussionis concussione vexentur : sed per speciale privilegium suæ committi fidei consequantur, juratoria[15] ab his cautione tantummodo exponenda, quam si neglexerint, et contra insertum cautioni sacramentum ipsi, vel eorum procuratores abfuerint : in pecuniariis quidem causis super[16] possessione rerum ad eos pertinentium judex competens, quod etiam juris auctoritas, et rei qualitas suggesserit, ordinabit. In criminalibus vero negotiis dignitate quoque qua se per suum videlicet perjurium indignos esse probaverint, spolientur : ut in eos, utpote illustri dignitate per suum facinus privatos, inconsulta etiam nostra pietate, judicibus legum severitatem liceat exercere. — § 1. Quibus illustrium dignitatum privilegiis hoc etiam adjiciendum esse censuimus, ut hujusmodi personæ nullam ex cujuslibet judicis[17] sine scriptis habita sententia, conventionem, neque in civili, neque in criminali causa sustineant.

18. Imp. Anastasius A. Eusebio magistro officiorum.

Jubemus, salvo honore qui per revocationem sacræ revocatoriæ defertur, durante, licere cunctis tam minoribus quam majoribus potestatem gerentibus, necnon etiam honorariis illustribus, sive ex hac regia urbe, principali videlicet præcedente consensu, profecti fuerint, sive in provinciis habitantes sacratissimum (suis scilicet poscentibus negotiis) petere maluerint comitatum sine sacra quoque revocatoria ad hanc regiam[18] urbem pervenire.

Tit. LXXVII. — 1. *Adde* L. 1, supr. de metallar, h. lib., tit. 6; L. ult. supr. de privil. dom. August.

Tit. I. — 1. L. 15, infr. h. t.; L. 8, D. de senator.; L. 3, supr. de murileg., lib. 11, tit. 7. — 2. L. 1, supr. de his qui non implet. stipend, lib. 10, tit. 54; L. 1, supr. de infamib., lib. 10, tit. 57; L. 2, D. de offic. adiessor.; L. 1, in pr. D. ad leg. Jul de vi privat. — 3. L. 11, supr. de excusat. muner., lib. 10, tit. 47; L. 3, infr. de primicer., h. lib., tit. 7; L. 3, infr. de silentiar., h. lib., tit. 16. — 4. *Adde* L. 7, infr. h. t. — 5. L. 14, infr. eod. — 6. *Adde* L. un. infr. negotiat. ne militent, h. lib., tit. 35. — 7. L. 4, supr. h. t. — 8. *Confer* L. un. supr. ad leg. Visell. — 9. L. 11, L. 17, supr. de quæstion. — 10. L. 2, supr. h. t; L. 2, D. de senator.; L. 12, § 2, D. de judic. — 11. L. ult. supr. de incolis; L. 8, D. de senator.; N. 22, c. 36 — 12. L. 5, supr. h. t.; L. 22, § Senatores; L. 23, in pr. D. ad municipal. — 13. L. ult. infr h. t. — 14. L. 3, D. de custed. et exhibitione reor. — 15. L. 12, in fin. pr. infr. de proxim. sacror. scrin., h. lib., tit. 19. — 16. N. 53, c. 4, circa fin. — 17. L. ult. vers. hoc etiam, infr. de principib. agent. in reb., h. lib., tit. 22. — 18. L. 15, supr. h. t.; *si tamen* L. 9, supr. de offic. rector. provinc.

VU

de Vacatione publici muneris. *pag.* 661. *lib.* 10. *tit.* 45.
Ubi causæ fiscales vel divinæ. 178. * 3. 26.
— causa status agi debeat. 176. * 3. 22.
— conveniatur, cui certo loco dare. 175. * 3. 18.
Ubi de criminibus agi oporteat. 174. * 3. 15.
—— hereditate agatur. 175. * 3. 20.
—— possessione agi oporteat. 174. * 3. 16.
—— ratiociniis tam publicis. 175. * 3. 21.
Ubi et apud quem cognitio. 151. * 2. 47.
— fideicommissum peti oporteat. 174. * 3. 17.
— in rem actio exerceri debeat. 175. * 3. 19.
— petantur Tutor. vel Curat. 332. * 5. 32.
— pupilli educari debeant. 344. * 5. 49.
— quis de curiali vel cohortali. 176. * 3. 23.
— Senatores vel clarissimi. 177. * 3. 24.
Vectigalia nova institui non posse. 275. * 4. 62.
de Vectigalibus et commissis. 273. * 4. 61.
de Venatione ferarum. 693. * 11. 44.
de Vendendis rebus civitatis. 687. * 11. 31.
de Venditione rerum fiscalium. 631. * 10. 4.
de Verborum et rerum significatione. 416. * 6. 38.
de Vestibus holoberis et auratis. 679. * 11. 8.
de Veteranis. 752. * 12. 47.
de Veteri jure enucleando. 73. * 1. 17.
de Veteris numismatis potestate. 681. * 11. 10.
de Vi bonorum raptorum. 612. * 9. 33.
de Vindicta libertate. 453. * 7. 1.
Unde legitimi. 376. * 6. 15.
—— liberi. 376. * 6. 14.
—— Vi. 521. * 8. 4.
—— Vir et uxor. 378. * 6. 18.
de Usucapione pro donato. 476. * 7. 27.
———— dote. 477. * 7. 28.
———— emptore. 476. * 7. 26.
———— herede. 477. * 7. 29.
de Usucapione transformanda. 477. * 7. 31.
de Usufructu et habitatione. 193. * 3. 33.
de Usuris. 248. * 4. 32.
——— et fructibus legatorum 427. * 6. 47.
——— pupillaribus. 349. * 5. 56.
——— rei judicatæ. 499. * 7. 54.
Ut actiones et ab heredibus, et contra. 219. * 4. 11.
— armorum usus inscio Principe. 694. * 11. 46.
— causæ post pubertatem. 344. * 5. 48.
— dignitatum ordo servetur. 720. * 12. 8.
— in possessionem legatorum. 436. * 6. 54.
— intra certum tempus. 619. * 9. 44.
Uti possidetis. 523. * 8. 6.
Ut lite pendente. 87. * 1. 21.
Ut nemini liceat in emptione. 643. * 10. 27.
———— sine judic. auctor. 136. * 2. 17.
Ut nemo ad suum patrocinium. 700. * 11. 53.
——— invitus agere vel accusare 168. * 3. 7.
——— privatus titulos. 136. * 2. 16.
Ut nulli patriæ suæ administr. 103. * 1. 41.
— nullus ex vicaneis. 701. * 11. 56.
— omnes judices, tam civiles. 105. * 1. 49.
— quæ desunt advocatis. 129. * 2. 11.
de Uxoribus militum. 153. * 2. 52.

BIBLIOTECA PUBLICA DE NUEVO LEON

V U

de Vacatione publici muneris. *pag.* 661. *lib.* 10. *tit.* 45.
Ubi causæ fiscales vel divinæ. 178. * 3. 26.
— causa status agi debeat. 176. * 3. 22.
— conveniatur, cui certo loco dare. 175. * 3. 18.
Ubi de criminibus agi oporteat. 174. * 3. 15.
—— hereditate agatur. 175. * 3. 20.
—— possessione agi oporteat. 174. * 3. 16.
—— ratiociniis tam publicis. 175. * 3. 21.
Ubi et apud quem cognitio. 151. * 2. 47.
— fideicommissum peti oporteat. 174. * 3. 17.
— in rem actio exerceri debeat. 175. * 3. 19.
— petantur Tutor. vel Curat. 352. * 5. 32.
— pupilli educari debeant. 344. * 5. 49.
— quis de curiali vel cohortali. 176. * 3. 23.
— Senatores vel clarissimi. 177. * 3. 24.
Vectigalia nova institui non posse. 275. * 4. 62.
de Vectigalibus et commissis. 273. * 4. 61.
de Venatione ferarum. 693. * 11. 44.
de Vendendis rebus civitatis. 687. * 11. 31.
de Venditione rerum fiscalium. 631. * 10. 4.
de Verborum et rerum significatione. 416. * 6. 38.
de Vestibus holoberis et auratis. 679. * 11. 8.
de Veteranis. 752. * 12. 47.
de Veteri jure enucleando. 73. * 1. 17.
de Veteris numismatis potestate. 681. * 11. 10.
de Vi bonorum raptorum. 612. * 9. 33.
de Vindicta libertate. 453. * 7. 1.
Unde legitimi. 376. * 6. 15.
—— liberi. 376. * 6. 14.
—— Vi. 521. * 8. 4.
—— Vir et uxor. 378. * 6. 18.
de Usucapione pro donato. 476. * 7. 27.
———— dote. 477. * 7. 28.
———— emptore. 476. * 7. 26.
———— herede. 477. * 7. 29.
de Usucapione transformanda. 477. * 7. 31.
de Usufructu et habitatione. 193. * 3. 33.
de Usuris. 248. * 4. 32.
——— et fructibus legatorum 427. * 6. 47.
——— pupillaribus. 349. * 5. 56.
——— rei judicatæ. 499. * 7. 54.
Ut actiones et ab heredibus, et contra. 219. * 4. 11.
— armorum usus inscio Principe. 694. * 11. 46.
— causæ post pubertatem. 341. * 5. 48.
— dignitatum ordo servetur. 720. * 12. 8.
— in possessionem legatorum. 436. * 6. 54.
— intra certum tempus. 619. * 9. 44.
Uti possidetis. 525. * 8. 6.
Ut lite pendente. 87. * 1. 21.
Ut nemini liceat in emptione. 643. * 10. 27.
———— sine judic. auctor. 136. * 2. 17.
Ut nemo ad suum patrocinium. 700. * 11. 53.
——— invitus agere vel accusare 168. * 3. 7.
——— privatus titulos. 136. * 2. 16.
Ut nulli patriæ suæ administr. 103. * 1. 41.
— nullus ex vicaneis. 701. * 11. 56.
— omnes judices, tam civiles. 105. * 1. 49.
— quæ desunt advocatis. 129. * 2. 11.
de Uxoribus militum. 153. * 2. 52.

TIT. II.

DE PRÆTORIBUS[1] ET HONORE PRÆTURÆ, ET COLLATIONE, ET GLEBA, ET FOLII, ET SEPTEM SOLIDORUM FUNCTIONE SUBLATA.

1. Impp. Arcad. et Honor. AA. Tatiano P. P.

Nemo ex clarissimis, et spectabilibus, qui in provinciis degunt, ad præfecturam postea devocetur, sed maneat unusquisque domi suæ tutus, atque securus, et sua dignitate lætetur.— Dat. 15 kal. Januar. P. P. Valentin. 7 et Albino Conss. 450.

2. *Idem*, AA. ad Senatum.

Glebam, vel follem, sive septem solidorum functionem, sive quamlibet hujusmodi collationem, tam circa personas, quam circa res, ac prædia funditus jubemus aboleri : ut omnis hujusmodi sopita perpetuo conquiescat exactio.

TIT. III.

DE CONSULIBUS[1], ET NON SPARGENDIS[2] AB HIS PECUNIIS, ET DE PRÆFECTIS ET MAGISTRIS MILITUM, ET PATRICIIS.

1. Impp. Theod. et Valent. AA. ad Senatum urbis Constantinopolitanæ.

Antiquitus statutum est, consularibus viris cæteros quidem honoratos ipsius trabeæ summitate, pares vero infulis consideratione tantum temporis anteire. Quis enim in uno, eodemque genere dignitatis prior esse debuerat, nisi[3] qui prior meruit dignitatem? cum posterior etiamsi ejusdem honoris prætendat auspicia, cedere tamen illius temporis consuli debeat, quo ipse non fuerit : hoc observando, et si iterata vice fastigia consulatus aliquis ascenderit. Repetiti enim fasces virtutes sæpe meriti comprobant, non augent : quia nihil est altius dignitate. Quod si quis prior consul posteriori consuli eidemque patricio posthabitus, patriciatum[4] postea consequatur : vinci eum oportet, qui prior meruerit patriciatum, postquam iste honore patriciæ dignitatis decoratus est.

2. Impp. Valentinianus et Marcianus[5] AA. Aporatio dom. [vel com.] et consuli.

Ordinem consulatus ad antiquam reduximus sanctionem, ut sellam nostri honoris merito, non rapiendi studio, populorum agmina sectentur : ac lucrandi cupiditate deposita, venerabilem parentum habitum, et felicissima antiquitatis ornamenta conspicentur. Hoc ergo exemplo etiam cæteros procedere consules volumus, nec expendere eos sine effectu patimur. Cessante ergo ista spargendi[6] vilitate amplissimi consules procedentes, deinceps abstineant hoc errore perdendi, optimoque consilio operi necessario proficiat, quod erat incompetenter projiciendum. Ad restaurationem itaque aquæductuum[7] hujus amplissimæ urbis centena pondo auri præstentur per singulos consulatus : ut et consul patriæ se dedisse noverit, et data notum sit mansura esse perpetuo. — Dat. Asporatio et Herculiano Conss. 452.

3. Imp. Zeno A

Nemini ad sublimem patriciatus honorem (qui cæteris omnibus antepositus) ascendere liceat, nisi[8] prius aut consulatus honore potiatur, aut præfecturæ prætorio, vel Illyrici, vel urbis administrationem, aut magistri militum, [aut magistri officiorum] in actu videlicet positus gessisse noscatur : ut hujusmodi tantum personis, sive adhuc administrationem gerendo, seu postea, liceat, quando hoc nostræ sederit majestati, patriciam consequi dignitatem. Quoniam vero gloriosissimæ huic urbi, quæ caput orbis terrarum est, omnifariam credimus consulendum : universos, qui posthac honorarii consulatus insignibus principali munificentia decorantur : centum libras auri ad reficiendum aquæductum[9] publicum ministrare censemus : ad similitudinem eorum, qui per annale tempus consularium editione munerum gloriantur. Nam ipsis quoque expedit, ut florentissima civitas centum auri librarum munificentia sustentata, honorarium quoque sentiat consulatum.

4. *Idem*, A. Sebastiano P. P.

Sancimus viris excellentissimis consularibus omnibus qui jam facti sunt, vel postea fuerint, procedendi quoque, et reipsa per annum gerendi consulatus, impetrato videlicet principali judicio, legitimam tribui facultatem : ita ut peracta, quam meruerint, processione, non novum aliquid, vel quod nondum habeant, adipisci : sed consulatus jus, quod semel eis consularis detulerat processio, iterasse beneficio videantur, et in adoranda[10] nostra purpura, vel in consequendis cunctis consulum honoribus, et privilegiis ex anteriore tempore provectionis ordinem sibimet noverint vindicandum. Hoc etiam observando, ut hujusmodi consul nec centum libras auri aquæductibus[11] hujus inclitæ civitatis pro tenore sacræ constitutionis præbendas, quas cum esset consularis, præstiterat, consul postea creatus persolvere denuo compellatur.

5. Imp. Justinianus A. Joanni P. P.

Sancimus, viros excelsos[12] patricios[13], quos in hujusmodi dignitatis apicem augusta majestas retulerit, illico ab imperialibus codicillis præstitis patresfamilias effici, ac potestate liberari paterna : ne videantur, quia a nobis loco patris honorantur, alieno juri esse subjecti : (quis enim patiatur patrem quidem posse per emancipationis modum suis nexibus filium relaxare : imperatoriam autem celsitudinem non valere eum quem sibi patrem elegerit, ab aliena eximere potestate?) ne si contrarium approbetur per quamcunque machinationem, imperialis majestas minui videatur. Et hoc quidem raro contingere satis certum est : nemo enim facile respexit filiumfamilias in patriciatus honorem provectum, quemadmodum in consulibus hæc res usitata est, sed ne quid in parte temporis tale eveniat, et sine legibus inveniatur. Ideo hæc nobis visa sunt sancienda.

TIT. IV.

DE PRÆFECTIS PRÆTORIO, SIVE URBI, ET MAGISTRIS MILITUM IN DIGNITATIBUS EXÆQUANDIS.

1. Imppp. Valent., Valens et Gratian. AAA. ad Ampelium P. P.

Præfectum urbi, et præfectum prætorio, et magistros equitum, ac peditum, indiscretæ ducimus dignitatis : usque adeo videlicet, ut cum ad privatam successerint vitam, eum locum velimus esse potiorem, qui alios promotionis[1] tempore, et codicillorum adeptione præcesserit. — Dat. 3 non. Jul. *Nasonaci.* Accept. 3 non. septembr. Modesto et Arintheo Conss. 372.

2. Imppp. Grat., Valent. et Theod. AAA. Restituto.

Quisquis magisterium equitum, peditumque susceperit, et gesserit ante captam a quoquam præfecturam : is cum privatus erit, et honorem deposuerit, ex præfectis, qui provecti fuerint, præferatur. Sit igitur sedes prior[2] ante provectis, locus conspectior decernendi, loquendique facultas antiquior, cui est splendor adepti magistratus vetustior. — Dat. 8 kal. Jul. *Thessalon.*, Grat. 5 et Theod. AA. Conss. 380.

TIT. V.

DE PRÆPOSITIS SACRI CUBICULI, ET DE OMNIBUS CUBICULARIIS, ET PRIVILEGIIS EORUM.

1. Impp. Honor. et Theod. AA. Florentio P. U.

Sacri cubiculi præpositi ea dignitate fungantur, qua sunt præditi, qui eminentissimam prætorianam, vel urbanam meruerint præfecturam, aut certe militarem magisteriam potestatem : ita ut sit inter eos post depositas administrationes nulla discretio, sive nostræ serenitatis adoraturi[1] admittantur imperium, sive pro suo arbitrio solennes festivitates, et cœtus, vel salutationes, vel quælibet alia officia frequentent : ut in sedibus, et in consessu ejus ordo servetur, quem ordo[2] provectionis ostenderit : sub habitu videlicet ipsis consueto, cum manifeste decretum sit eorum esse potiorem, qui præcesserit, vel illum subsequi, quem recentius probaverit examen. — Dat. 8 id. novembr. *CP.*, Honorio 15 et Theod. 10 AA. Conss. 422.

2. *Idem*, Theod. et Valent. AA. Proculo P. P.

Hac nostræ mansuetudinis æterna lege sancimus, ut omnes cubicularii, qui de nostro cubiculo exeunt, antequam primum locum obtineant (excepto castrensi, et comite domorum) his[3] privilegiis perfruantur, id est, ut neque possessiones eorum angarias, sive parangarias, vel etiam paraveredos in posterum dispositione tui culminis, vel alicujus calumnia dare

Tit. II. — 1. *Adde* tit. de offic. prætor. supr. et D.
Tit. III. — 1. Lib. 1, D. 10. — 2. N. 105, N. Leon. 94. — 3. L. 1, infr. ut dignit. ordo, h. lib., tit. 8. — 4. L. 4. infr. de princip. agent. in reb., h. lib., tit. 22. — 5. N. 105, in pr. vest. med. — 6. *Mutat.* d. N. 105. — 7. L. 5, L. 4, infr. h. t. — 8. *Abrog.* N. 62, § 2. — 9. L. . supr. cod.; L. 8, in fin. supr. de aquæductu. — 10. L. 1, infr. de apparit. præfecti urbi h. lib., tit. 54. — 11. L. 2, in fin. supr. h. t. — 12. N. 81, in pr.; § 4, Inst. quib. mod. jus patr. potest. — 13. *Adde* d. N. 81, c. 1 et 3.
Tit. IV. — 1. L. 1, infr. ut dignitatum ordo, h. lib., tit. 8. — 2. d. L. 1.
Tit. V. — 1. L. 1, infr. de apparitorib. præf. urb., h. l b., tit. 54. — 2. L. 1, infr. ut dignitat. ordo, h. lib., tit. 8. — 3. L. 12, supr. de excusat. muner.

cogantur, ne sordidis adstricti muneribus, decus ministerii, quod militando videbantur adepti, olii tempore, et quietis amittant, domos quoque eorum, vel in hac sacratissima urbe, vel in qualibet alia positas civitate, ab omni hospitum cujuslibet dignitatis inquietudine vindicamus: provinciarum rectoribus, eumque apparitoribus denarum librarum auri dispendio feriendis, si mansuetudinis nostræ statuta dissimulare, et ex aliqua parte violare tentaverint.

5. Impp. Leo et Anthemius AA. Joanni comiti, et magistro officiorum.

Cubicularios, tam sacri cubiculi mei, quam venerabilis augustæ, quos utrosque certum est obsequiis occupatos, et aulæ penetralibus inhærentes, diversa judicia obire non posse: ab observatione aliorum tribunalium liberamus, ut in sublimitatis solummodo tuæ judicio propositas adversus se excipiant actiones.

4. Imp. Leo A. Pusco P. P.

Jubemus omnes, qui vel jam in sacrum cubiculum cujuspiam liberalitate donati, aliove titulo dati, vel dandi, principalibus obsequiis inhærere, vel ante meruerunt, vel postea meruerint, licet nulla interveniente scriptura, nulla confectione gestorum, postquam devotissimis[4] cubicularis fuerint sociati, ad conditionem libertatis ingenuitatisque rapiantur, raptique videantur: hoc non solum circa superstites, sed etiam circa mortuos volumus custodiri. Nam cum *hoc privilegium videatur principalis esse proprium majestatis, ut non famulorum, sicut privatæ conditionis homines, sed liberorum honestis utatur obsequiis*: perinjuum est eos duntaxat pati fortunæ deterioris incommoda: sed testamenta quidem ad similitudinem aliorum, qui ingenuitatis infulis decorantur, pro sua liceat eis condere voluntate: intestatorum vero nemo dubitet facultates, utpote sine[5] legitimis successoribus defunctorum fisci juribus vindicari. Et hæc omnia tunc diligenti observatione volumus custodiri, cum sponte, suaque voluntate quis dederit eunuchum sacri cubiculi ministeriis adhæsurum. Si vero quidam fuerit violenter extortus, aut invito domino, vel ignaro intra sacrum ausus sit militare cubiculum: liceat domino destinatum sacra ex lege cubicularis interpellare judicium: et eum, quem probaverit, nolente se vel nescio sacrum penetrasse cubiculum, ut suum famulum cum peculio consequatur. Sed et sicut læsis implorandi præsidii facultatem denegari non convenit: ita nec calumniandi [viam patimur] diutius esse patefactam. Ideoque tempus quinquennii præfinimus, intra quod contra eum suas debeant exercere quæstiones, ut si medio tempore movere distulerint, ulterius eis tanquam in suum famulatum vindicandi, vel ejus, ut servi peculium, vel bona quasi liberti copia denegetur. Hæc omnia, quæ super devotissimis cubicularis sancimus, etiam ad cubicularias, quæ a dominis in sacrum cubiculum datæ, vel dandæ sunt, superstites atque mortuas extendi propagarique decernimus.

5. Imp. Anastasius A. Eusebio magistro officiorum.

Jubemus duobus viris illustribus præpositis utriusque sacri cubiculi tam nostræ pietatis, quam serenissimæ [nostræ] conjugis, qui post finitam militiam[6] senatorio fuerint consortio sociati, licere quotiens ad aspiciendos agros suos, vel ob aliam causam proficisci voluerint, cingulo uti: cum hoc ad implendum eorum desiderium, et ad nullius læsionem respicere videatur.

TIT. VI.

DE QUÆSTORIBUS[1] ET MAGISTRIS OFFICIORUM, ET COMITIBUS SACRARUM LARGITIONUM, ET REI PRIVATÆ.

1. Imppp. Gratian., Valent. et Theod. AAA. Restituto P. U.

Qui ex quæsturæ honore, aut officiali magisterio, aut comitiva utriusque ærarii nostri attonito splendore viguerunt: acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur, ut incogniti. — Dat. 8 kal. Jul. *Thessalonicæ*, Gratiano 5 et Theodosio 1 AA. Conss. 380.

TIT. VII.

DE PRIMICERIO ET SECUNDICERIO, ET NOTARIIS.

1. *Iidem.* Imppp. Eutropio P. P.

Præcipua est nostræ pietatis intentio circa notariorum nomen: atque ideo si unquam hujus ordinis viri laborem quiete mutaverint, vel abjecerint, vel senectute posuerint, seu [cum] alia dignitate posthac qualibet usi sint, non omittant prioris vocabulum militiæ, sed compendium sequentis honoris adsumant: et si quis ex officio, vel præcipuæ sublimitatis tuæ temerario adsensu in discussiones, peræquationes, aliam denique ullam rem inquietator extiterit: officium suum noverit, vel levis culpæ offensione retecta, gravis multæ discrimine fatigandum, et numerariorum corpus extincto injuriæ auctore minuendum. — Dat. 16 kal. Jul. *Thessalonicæ*, Gratiano 5 et Theodosio 1 AA. Conss. 380.

2. Imp. Zeno A.* magistro officiorum.

Præclaram nobilemque militiam spectabilium tribunorum notariorum, qui gloriosis obsequiis nonnihil reipublicæ commoditatis afferunt, et decoris, diversis beneficiorum titulis muniendam credimus, et augendam: nam biennales[1] metas viro spectabili pro tempore primicerio agendis muneris duximus statuendas. Hos autem tribunos qui suis negotiis occupati, minime sacrum palatium curaverint frequentandum: nisi intra annale spatium revertantur, quamvis commeatus jura prætendant, pro absentia quidem unius anni, unius gradus: si vero duobus annis abfuerint, duorum, si tribus, trium, si quatuor, similiter quatuor graduum subire jacturam: his, qui inferiores eis fuerint, postponendis. Qui vero per quinquennium integrum se præsentare cessaverint, exemptos matricula, tantum nomine tribunorum, non vero ordine perpotiri: his in hunc modum dispositis, vacationem census, discussionis, peræquationis, et cujuslibet alterius rei habituros. Illud præcipue provisionem nostram flagitare perspeximus, ne per ambitionem, vel gratiam, aut cujuslibet occasionis obtentu, vel laborum, seu solicitudinum specie, publicorum cuiquam liceat aliquando graduum seriem conturbare, et temporum[2] ratione calcata dudum militantibus anteferri: et quæ longis prolixisque stipendiis defensa jam pollicetur senectus, gratiosa festinatione surripere: hoc etiam adjiciendo, ut primicerius post depositam publicam numerorum solicitudinem, ac si ipsam gessisset administrationem, cujus consequitur dignitatem, magistri officiorum pro antiqua consuetudine infulas, sortiatur, omnibus vacantibus, quamvis tempore præcedentibus, præponendus.

TIT. VIII.

UT DIGNITATUM ORDO SERVETUR.

1. Imppp. Gratianus, Valent. et Theod. AAA. ad Prætextatum P. U.

Si quis[1] indebitum sibi locum usurpaverit, nulla se ignorantia defendat: sitque plane sacrilegii[2] reus, qui divina præcepta neglexerit. — Dat. 12 kal. Jun. *Mediolani*, Richomere et Clearcho Conss. 384.

2. Impp. Theod. et Valent. AA. Cyro P. P.

Omnes privilegia dignitatum hoc ordine servanda cognoscant, ut primo loco habeantur hi, qui in actu positi, illustres peregerint administrationes. Secundo veniant vacantes, qui præsentes in comitatu illustris dignitatis cingulum meruerint: tertium [vero] ordinem eorum prospicimus, quibus absentibus cingulum illustris mittitur dignitatis: quartum honorariorum[3], qui præsentes a nostro numine sine cingulo codicillos tantum honorariæ dignitatis adepti sunt: quintum eorum, quibus absentibus similiter sine cingulo mittuntur illustris insignia dignitatis. Sed administratores quidem etiam comites rei privatæ vacantibus omnibus honorariis anteponi censemus. Vacantes autem post administratores venientes, non omnes jam omnibus honorariis credimus præponendos: sed eos vacantes illis honorariis, qui similem adepti sunt dignitatem: ut præfectorius quæstorio, non quæstorius præfectorio præponatur: parique modo quæstorius quæstorio: non vacans comes thesaurorum, vel comes rei privatæ, honorario quæstorio, vel magistro officiorum præferatur. Et inter administratores illos etiam numerari decernimus, quibus illustribus in sacro nostro consistorio cinctis aliquid ordinariæ dignitatis, vel ante commissimus, vel postea committemus peragendum: verbi gratia, si vacanti magistro militum belli cura committatur. Cur enim aut vir magnificus Germanus magister militum vacans appelletur, cui bellum contra hostes mandavimus? Aut cur excellentissimus Propentadius non egisse dicatur præfecturam, cujus illustribus cunctis dispositionibus vice prætorianæ præfecturæ miles in expeditione copia commeatuum abundavit.

4. L. 6, infr. qui militare, h. lib., tit. 34. — 5. Tot. tit. supr. de bonis vacant., lib. 10 tit. 10; L. 96, § 1, D. de legat. 1. — 6. L. ult. in pr. supr. ubi senatores vel clariss.

Tit. VI. — 1. Lib. 1, tit. 30, supr.

Tit. VII. — 1. *Adde* L. 2, supr. de fabricens., lib. 11, tit. 9. — 2. L. 7, infr. de proxim. sacror. scrin, h. lib., tit 19.

Tit. VIII. — 1. L. ult. infr. de privil. eor. qui in sacro palatio militant, h. lib., tit. 29; L. 1, supr. de consulib., h. lib., tit. 3; L. 1, L. 2, supr. de præfect. prætor., h. lib., tit. 4; L. petit. honor. sublat., lib 10, tit. 12; L. 13, infr. de erogat. militar. annonæ. — 3. N. 70, in pr

TIT. IX.

DE MAGISTRIS SACRORUM SCRINIORUM.

1. Impp. Theodos. et Valent. AA. Zoïlo P. P. Orientis.

Viris spectabilibus magistris omnium sacrorum scriniorum nostræ benevolentiæ liberalitas tribuenda est, qui[1] nostræ quodammodo adsidere majestati videntur: ideoque post depositum etiam officium ab omni indictionis onere, seu civilium, seu militarium judicum prorsus immunes esse præcipimus: ut nec ab amplissima quidem sede tui culminis eis ulla molestia super suspiciendo quolibet gravamine privato, vel publico penitus injungatur. Hoc beneficium ad proximos[2] etiam sacrorum scriniorum, et ex proximis, volumus propagari: quinquaginta librarum auri officio tui culminis condemnatione multando, si quid adversus statuta clementiæ nostræ innovari concesserit. — Dat. 5 kalend. Mart. Theod. A. 18 et Albino Conss. 444.

TIT. X.

DE COMITIBUS CONSISTORIANIS[1].

1. Impp. Arcadius et Honorius AA. Severino P. U.

Eos, qui tranquillitatis nostræ consistorii dici comites meruerunt, spectabilibus proconsulibus æquari generaliter decernimus. — Dat. 7 kal. oct. *CP.*, Theodoro V. C. Cons. 399.

2. Imp. Anastasius A. Eusebio magistro officiorum.

Viros spectabiles comites consistorianos, et conjuges, et liberos, quinetiam servos eorum atque colonos iisdem privilegiis, tam intentiones ab aliis proponendas excipiendo, quam suas contra alios exercendo, perfrui, quibus viri clarissimi principes scholæ agentium in rebus, per sacram pragmaticam sanctionem divinæ memoriæ Zenonis[2] utuntur.

TIT. XI.

DE COMITIBUS ET TRIBUNIS SCHOLARUM.

1. Impp. Honor. et Theod. AA. Prisciano P. U.

Præpositos[1] ac tribunos scholarum, qui inquietudinis epulis adhibentur, et adorandi principis facultatem antiquitus meruerunt: (inter quos comites etiam sacri stabuli, et cura palatii numerantur) si primi ordinis comitivam cum præpositura meruerunt, et casu ad altiora non pervenerint, deposito sacramento inter eos, qui comites Ægypti, vel Ponticæ diœceseos fuerint, (quorum par dignitas est) haberi præcipimus: alios, qui honore comitivæ regimen fuerint nacti, absolutos militia, inter eos, qui duces fuerint provinciarum, numerari jubemus. — Dat. 7 kalend. april. *CP.*, Lucio V. C. Cons. 415.

TIT. XII.

DE COMITIBUS REI MILITARIS.

1. Imppp. Valent., Valens et Gratian. AAA. Ampelio P. U.

Qui contemplatione meritorum, ducto intra provincias transmarinas strenuissimo milite primi ordinis comitivam fuerint consecuti: ea reverentia altissimarum dignitatum viris subjugantur, ut his locum præstent, qui proconsulatus insignibus adornantur. — Dat. 3 non. Jul. *Nasonnaci*, Modesto et Arintheo Conss.

2. Impp. Honorius et Theodosius AA. Prisciano P. U.

Eos[1], qui sub comitiva primi ordinis dignitate peculiariter ad quamlibet provinciam, vel provincias defendendas milite credito auctoritate nostri numinis destinantur, et eos, qui vicem illustrium virorum magistrorum militum susceperint peragendam, ducibus, qui præter Ægyptum et Ponticam in aliis provinciis administraverint, adæquamus. — Dat. 12 kal. april. *CP.*, Lucio V. C. Cons.

TIT. XIII.

DE COMITIBUS, ET ARCHIATRIS SACRI PALATII.

1. Impp. Honor. et Theod. AA. Prisciano P. U.

Archiatros[1] intra palatium militantes, si comitivæ primi ordinis nobilitaverit gradus, inter vicarios taxari præcipimus, sive jampridem deposuerunt militiam, sive postea deposuerint: ita ut inter vicarios et duces, qui administraverint, et eos, qui comitivam primi[2] ordinis meruerint, nihil intersit, nisi tempus, quo quis administraverit, vel comitivæ adeptus est insignia. — Dat. 12 kal. april. *CP.*, Lucio V. C. Cons.

TIT. XIV.

DE COMITIBUS, QUI PROVINCIAS REGUNT.

1. Impp. Honorius et Theodosius AA. Prisciano P. U.

Eos[1], qui administratione civili, ac provinciæ gubernaculis sub jurisdictionis licentia comites quoque primi ordinis esse meruerint, vicariæ dignitatis post depositam administrationem privilegiis frui oportet. — Dat. 12 kal. april. *CP.*, Lucio V. C. Cons.

TIT. XV.

DE PROFESSORIBUS, QUI IN URBE CONSTANTINOPOLITANA DOCENTES, EX LEGE MERUERUNT COMITIVAM.

1. Imp. Theodos. [A. et Valentin.] C. Theophilo P. U.

Grammaticos, tam græcos, quam latinos, sophistas et jurisperitos in hac regia urbe professionem suam exercentes, et inter statutos connumeratos, si[1] laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint, et cœtu amplissimo judicante digni fuerint æstimati: cum ad viginti[2] annos observatione jugi, ac sedulo docendi labore pervenerint, placuit honorari, et his, qui sunt ex vicaria dignitate, connumerari. — Dat. id. Mart. *CP.*, Theod. A. 11 et Valentiniano C. Conss. 425.

TIT. XVI.

DE SILENTIARIIS, ET DECURIONIBUS EORUM.

1. Impp. Honor. et Theod. AA. Urso P. U. et Æmiliano com. ord. pr. et strategio P. P.

Decuriones[1] nostri palatii post emensum fideliter obsequium, postque deposita sacramenta militiæ, electionem habeant, sive ex magistro officiorum, velut agentes, dignitatem consequi a nostra majestate maluerint: sive inter viros illustres comites domesticorum, videlicet inter agentes taxari: ut tam in adoranda nostra serenitate, quam in salutandis administratoribus, et reliquis prædictis honoris privilegiis, necnon in nostro consistorio his honor omnifariam observetur. — Dat. prid. kal. novemb. *CP.*, Honorio 10 et Theodosio 6 AA. Conss. 415.

2. *Iidem*, AA. Venantio P. P.

Unusquisque decurio[2], vel silentiarius a[3] tyronum, equorumque præstationibus habeatur immunis: nullam collationem, quæ plerumque poscitur, solvat: nihil his ulla potestas injungat, aut necessitas imponat.

3. Impp. Theod. et Valent. AA. Flaviano P. P.

Decurionibus, et silentiariis etiamsi ad superiorem[4] gradum successu meliore transcendunt, omnia privilegia, quæ jamdudum divorum principum judicio meruerunt, legis istius præceptione noverint esse firmata, non præjudicatura quacunque generalitate pragmatica, nec angarias, vel parangarias, sive paraveredos ulla eis amplissimæ præceptionis imponat auctoritas: sordidis quoque muneribus, excoctione calcis, et superindicti gravamine eos liberamus. Domos quoque eorum non tantum in hac sacratissima urbe, sed in qualibet alia positas civitate, immunes ab omni

Tit. IX. — 1. L. 11, supr. de excusat. muner. — 2. Infr. de proxim. sacror. scrin.

Tit. X. — 1. L. 12, supr. de excusat. muner. — 2. L. ult. infr. de princip. agent. in reb.

Tit. XI. — 1. *Junge* L. ult. infr. tit. prox.

Tit. XII. — 1. *Junge* L. 1, supr. tit. prox.

Tit. XIII. — 1. *Conjunge cum* L. ult. supr. tit. prox. — 2. L. ult. supr. de profess et medicis.

Tit. XIV. — 1. *Junge cum* L. 1, supr. de comitib. rei milit.

Tit. XV. — 1. L. 7, supr. de profess. et medicis. — 2. L. 1, supr. de excusat. veteran.; L. 5, supr. de his qui non implet. stipend.

Tit. XVI. — 1. L. 3, infr. h. t. — 2. d. L. 3, L. 21, supr. de decurionib. — 3. dd. LL. — 4. L. 3, supr. de dignit.